



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XCV. Vtrum Confessarius teneatur pro omni euentu ad veram intentionem
absoluendi, & ad secretum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

QVÆSTIO XCIV.

*Utrum Confessarius teneatur, pro omni euentu
ad veram absoluendi intentionem,
& ad secretum?*

Videtur ad neutrum teneri pro omni euentu, 1. Quia sæpè contingit exponi in confessione peccata iam priùs deleta per contritionem, vel per aliam anteriorem confessionem. Tunc autem perperam adhiberetur vera intentio absoluendi.

2. Istud Sacramentum, ex vi suæ institutionis, est ordinatum ad omnem eam pœnitentiam vtilitatem, quæ ex confessione peccatorum percipi potest. Sæpè autem potest esse multipliciter vtile pœnitenti, vt aliquod eius peccatum manifestetur per confessarium, vel superioribus, vel amicis ipsius, à quibus corripiatur, ac præmuniatur aduersus reincidentiam. Ergo non semper est obligatus confessarius ad sigillum confessionis totaliter obseruandum.

3. Prædurum videtur, atque omnino irrationabile, vt coniciat confessarius, manifestato peccato pœnitentis, vitari posse, nec vitari aliter posse subuersionem Patriæ, suam ipsius necem, aut simile ingens, ac irreparabile incommodum, & nihilominus teneatur non manifestare, nec vlllo pacto indicare tale peccatum; Deus autem, cuius iugum suauis est, & onus leue, prædura, & irrationabilia nunquam iubet.

4. Aliæ obligationes confessarij, imponendi pœnitentiam, adhibendi medicinam, monendi, interrogandi, ac instruendi circa ea, quæ vincibiliter, aut inuincibiliter ignorantur à pœnitente, & quæ sunt his similes, cessant multiplice de causa, vt est in confesso apud omnes. Fieri igitur similiter potest, vt pro aliquo euentu cesset etiam obligatio, tum seruandi secretum, tum præhabendi veram absoluendi intentionem.

Art. 1. Respondetur. Circa alias obligationes confessarij erga pœnitentem, præterquam ad veram absoluendi intentionem, & ad secretum, vix vlla occurrat ratio dubitandi, & sufficienter innotescent ex obiter, vel iam dictis, vel dicendis. Quod ad primum attinet ex his duobus punctis: certum, atque apud omnes indubitatum est prolationem verborum absolutionis, absque intentione conformi significationi eorum, & simul absque exteriori aliqua manifestatione de defectu eiusdem intentionis esse intrinsecè turpem, nec licitam vnquam esse posse. Quia esset locutio ficta, mendax, ac deceptiua. Quia verò deceptio esset in re graui, & insuper esset iniuriola Sacramento, atque contemptiua Dei quatenus ipsum instituentis; peccatum foret proculdubio graue, & in specie sacrilegij constitutum ex sua natura, seu loquendo per se.

Art. 2. Forma porro absolutionis constat essentialiter his verbis: *Ego te absoluo à peccatis tuis*. Quibus æquivalent hæc verba: *Absoluo te*; nec non fortassis hæc: *Absoluo à peccatis tuis*. Nempe particula, *Ego* sufficienter subintelligitur, vt potè virtualiter inclusa in verbo *absoluo*; sicut etiam subintelligitur, & includitur particula *te* in particula *tuis*, nec non particula *à peccatis tuis*, dum dicitur præeunte immediatè confessione peccatorum; *absoluo te*. Hæc autem verba, quocumque ex his modo, aut alio æquivalenti, enuncientur, non sunt purè deprecatoria aut declaratoria, sed operatoria, vt apparet ex naturali ipsorum significatione. Idem apparet rursus clarè ex Ioan. 20. & Matth. 18. vbi non dixit Christus Dominus: *Quocumque petieritis, vt remittantur, aut declaraueritis re-*

missa; sed *Quorum remiseritis peccata*. Idem denique constat clarè ex Tridentino dicente sess. 14. cap. 5. & can. 9. hoc Sacramentum institutum esse per modum iudicij, atque ideo formam eius esse actum iudicalem, propriumque iudicis verè remittentis; & non tantum deprecantis, aut declarantis. Necesse igitur est pro valore huius Sacramenti, atque pro vsu licito formæ absolutoriæ in actu confessionis, vt confessarius præhabeat veram intentionem absoluendi pœnitentem, atque remittendi peccata eius. Cæterum quo pacto possit, & quo non possit esse conditionata ea intentio, constat satis ex dictis in communi quæstione 16. vti etiam constat ex dictis, & multipliciter confirmatis quæst. 13. & 14. de necessitate modo asserta intentionis in ministro circa effectum cuiusque Sacramenti.

Art. 3. Quoad alteram partem de secreto, seu sigillo confessionis; certum imprimis est teneri confessarium ad non manifestandum peccata pœnitentis non solum ratione vniuersali secreti naturalis, quatenus ea notitia est priuata, & confidentialis, sed etiam specialiter, & multo magis ratione Sacramenti, quatenus pœnitens detegit confessario peccata sua, non purè, ac præcisè, vt homo homini, sed potius, vt Vicario Dei, & solum in ordine ad finem supernaturalem remissionis illorum. Quapropter confessarius, manifestando peccata, aut peccatum aliquod pœnitentis, non solum committeret peccatum iniustitiæ ex læsione famæ, & violatione contractus seu impliciti, seu expliciti, de seruando secreto; ex quo capite secundum se præcisè, peccatum posset, esse, aut veniale propter paruitatem materiæ, aut nullum ob causas præuallentes in contrarium, verum etiam committeret peccatum sacrilegij propter violatam Sacramenti dignitatem, institutionem, legem atque naturam; sub qua ratione nullus est locus paruitati materiæ, aut vlli alij causæ excusanti à lethali.

Art. 4. Hinc certum rursus consequenter est, pro nullo prorsus euentu, nulliusque boni acquirendi, aut mali vitandi causa, vtcumque vtrumuis magnum esse, ac latè patere contingat, licere vnquam confessario, vt reuelet cuiquam, vlllo modo, vel etiam insinuatim tantum, vllum peccatum notum per solam confessionem sacramentalem, seu quatenus notum per eandem; nisi pœnitens sponte consentiat. Ita docet vnanimis, ac indubitatus Theologorum omnium consensus ex perpetua Ecclesiæ traditione; & colligitur ex can. *Sacerdos*, de pœnit. dist. 6. & ex cap. *Omnis vtriusque sexus* sed de penit. & remiss.

Art. 5. Ratio est. Quia Christus Dominus, dum instituit hoc Sacramentum, indixit eo ipso peccatoribus confessionem suorum peccatorum faciendam sacerdotibus, tanquam Vicariis ipsius, vti superius illatum est quæst. 87. eamque notitiam sacerdotum vnice ordinauit ad vtilitatem pœnitentium, consistentem in remissionem eorundem peccatorum, quam conferri voluit ab iisdem sacerdotibus proferentibus sententiam absolutoriam, tanquam legitimis eate-nus iudicibus. Quod quidem apparet clarissimè, tum ex ipsa natura rei, ex eius expositione præmissa sub initium posterioris huius partis de pœnitentia. Quapropter, post prolatam eam sententiam, nullus amplius superest vsus licitus notitiæ habitæ in confessione, cum nullus alius permissus sit sacerdotibus à Christo Domino. Qui autem transgreditur limites sibi præfixos à Deo, & progreditur ultra finem ab eo intentum, quoad vsum rei sibi commissæ, eo ipso aburitur confessione sibi facta, & peccat; vt pote operans absque iure, & contra ius. Quia verò transgressio ista iuris, & vsus permissi, est in re graui, & grauiter nociua respectu pœnitentium, quatenus continet

vinet in se abusum Sacramenti, atque auertit fideles ab eius usu, procul dubio est lethaliter peccaminosa per se pro omni euentu; tamen violatio secreti possit aliquando esse materialiter parua propter tenuitatem, vel manifestationis, vel rei manifestatae.

Art. 6. Confirmatur, simulque ostenditur præterea (quod tamen non est æquè certum vniuersaliter, nec inconcussum apud omnes auctores) illicitum similiter esse, pro omni profluo euentu vsum extra sacramentalem notitiæ habitæ in confessione sacramentali, & pertinentis ad hanc ipsam confessionem, præterquam consentiente implicitè, vel explicitè ipso penitente; consentiente verò sponte, & cum plena voluntarietate; idque etiam si vltus talis notitiæ nullam omnino in se contineat, aut manifestationem peccatorum, aut periculum manifestationis. Quia videlicet; si permetteretur, aut manifestatio aliqua peccatorum, aut aliquis extra sacramentalis vltus, notitiæ habitæ in confessione atque arbitrio confessarii committeretur, quænam esset iusta opportunitas, aut manifestandi peccata, aut vtendi eorum notitiæ, confessio in primis redderetur odiosa, nimisque difficilis, atque hoc ipso contradiceretur fini prædicato institutionis Christi Domini, vt pote intendenti, vt hoc Sacramentum esset remedium frequens, & quotidianum pro expiatione conscientiæ, & remissione peccatorum, ac proinde vt esset liberum; quantum fieri posset ab omni sollicitudine & perturbatione animi circa manifestationem, & vsum extra sacramentalem confessionis sacramentalis.

Art. 7. Deinde titulo, & interuentu, ac prætextu Sacramenti, læderetur, quod est valde nefarium ius penitentis ad se certum, circa sua peccata, & ad vsum notitiæ communicatæ confessario præcisè, vt Vicario Dei, atque in ordine ad solam remissionem peccatorum, solamque sententiam sacramentalem. Ad hunc enim præcisè effectum iniuncta est à Deo penitentibus manifestatio suorum peccatorum respectu confessarii, cum esset alioquin omnino indubitata. Quapropter ius vniuersale, quod unicuique inerat ex natura rei ad totalem occultationem suorum peccatorum, & consequenter ad impediendum omnem omnino alienum vsum, notitiæ eorum manet perfectissimè illatum quoad omnem, & qualemcunque vltiorem tum manifestationem peccatorum, tum vsum notitiæ sacramentalis eorum. Itaque firmissimè, vt mihi quidem videtur tenendum est confessarium, non nisi abutendo per summum scelus, Sacramento, eiusque institutione, posse aliquatenus, pro vltio euentu, propagare vltius notitiam sacramentalem quæ pars est certa apud omnes, aut vsum eiusdem, cum dissensu, & displicentia penitentis, aut absque eius consensu.

Art. 8. Ex iisdem istis rationibus colligitur præterea, comprehendi sub eadem obligatione secreti, & non vltus notitiæ sacramentalis, reliquos etiam homines, qui in opere confessionis quoquo modo interueniunt, & quibus aliquid inde translucet, vt superior dans facultatem absoluenti, vir doctus, qui consulitur à confessario, interpres, qui adhibetur à penitente; nec non eos indiscriminatim omnes, ad quos notitia sacramentalis quomodolibet, casu, vel consilio transmissa est, dante primitus causam, vel occasionem notitiæ intentione Sacramenti, & opere ad Sacramentum ordinato. Nempe omnis huiusmodi notitia proficiscitur ex sola institutione supernaturali Sacramenti, & consequenter subest semper, ac vniuersaliter iuri penitentis, ne ad vllum alium vsum præterquam sacramentalem, cuiquam vnquam deferatur, vtque sit penitus exempta, de reliquo ab omnibus humani consortij, ac commercij vltibus, nec

quisquam immiscere se illi eatenus possit absque læsione Sacramenti, & institutionis eius.

Art. 9. Concluditur demum ex doctrina data eiusque rationibus, omnem eiusmodi hucusque assertam obligationem secreti, solidissimè fundari, in præcepto naturali Diuino, ex suppositione institutionis huius Sacramenti, qualis de facto datur; ac proinde decretum Clementis VIII. prohibens regularibus vsum notitiæ habitæ in confessione, aut occasione eius, pro exteriori gubernatione, esse potius declaratiuum, & confirmatiuum, quam extensiuum, ac ampliatiuum iuris naturalis Diuini, atque continere virtualiter doctrinam in hac materia omnino vniuersalem, respectu quorumlibet confessorum, & interuenientium vltuncque in opere confessionis, vt optimè notant, deducuntque diligenter Cardinalis de Lugo, Dicastillus, & alij.

Ad 1. Obseruatum iam iterum est supra quæst. 91. ad 4. Ex quouis peccato superesse semper aliquid, dum sumus in via, remissibile adhuc per subsequens Sacramentum. Vnde intentio remittendi, ac absoluenti, quæ implicitè, vel explicitè est de remittendo, ac absolueno, quantum hic, & nunc fieri potest, semper sortitur verum remissionis effectum existente idonea dispositione ex parte penitentis, nec contingere potest, vt illum non sortiatur ob defectum materiæ, siquidem exponatur in confessione verè aliquod peccatum, siue remissum prius, siue non remissum quoad culpam, & partem pænæ.

Ad 2. Pro dignoscenda vniuersali obligatione legis, capaci, vel incapaci exceptionis, & epikeiæ, non est consideranda sola conuenientia, vel disconuenientia, quæ aliquando aderit, vel fieri potest, vt adsit interueniente contrauentione materiali legis in talibus, vel talibus circumstantiis peculiariibus; sed considerandum præterea est, idque maxime: An, & quale sequatur, vel non sequatur inconueniens, si committatur arbitrio, & iudicio eius cui lex imponitur, quod hic, & nunc, & in talibus circumstantiis vigeat, vel non vigeat, obligatio legis. Si enim, ex ista permissione, ac licentia circa aliquam legem, sequatur magnum inconueniens, dicendum est talem legem obligare vniuersaliter pro omni euentu, esseque incapacem exceptionis, & epikeiæ, tamen transgressio eius materialis, non contineat in se magnum inconueniens, vel etiam nullum contineat inconueniens pro aliquo euentu absolute possibili, siue per se accidens. Rationes autem superius propositæ ostendunt talem esse legem obligantem ad sigillum, & ad non vtendum notitia sacramentali, extra Sacramentum; quatenus, ex opposito huius, confessio sacramentalis redderetur odiosa, nimisque difficilis, & frustraretur magna saltem ex parte, finis, ob quem institutum est Sacramentum, & ob quem lata est lex de eodem sigillo, & non vltus extra sacramentali. Quod ergo in casu particulari non appareat magnum inconueniens, sed potius conuenientia, respectu huius penitentis, hic, & nunc; Nequaquam sufficit ad honestandam fractionem sigilli, aut vsum extra sacramentalem, notitiæ sacramentalis. Quia nihilominus est magnum inconueniens, quod hoc ipsum subiciatur iudicio, & voluntati confessoris, aut cuiusquam alterius præter penitentem.

Art. 1. Ad 3. Non videntur satis considerasse, aut penetrasse naturam notitiæ sacramentalis, eiusque discrimen à notitiis aliis ordinatis ad fines naturales, quibus prædura videtur; & irrationabilis doctrina superius tradita, de obligatione, & amplissima & incompenfabili sigilli confessionis. Pro tollenda autem ea, seu admiratione, seu abominatione, ponuntur imprimis ob oculos, mendacium, & hæresis extrema,

externa, occisio innocentis, & similes actiones illicitæ pro omni euentu, ex omnium consensu, absque exceptione casuum similium casibus obiectionis. Quidni autem tantumdem tribuatur sigillo confessionis vsque adeo necessario pro facilitate salutis animarum, & pro tranquillitate, & consolatione, interna pœnitentium, quantum tribuitur veracitati necessariæ pro commercio humano naturali? & sic de similibus.

Artic. 2. Considerandum rursus est in particulari, notitiam, quæ habetur ex confessione sacramentali, esse indebitam absolutè humano generi, nec ducere originem ex indigentia mutue communicationis secretorum cordis, quæ impellit homines naturaliter ad reuelandum aliis sua quæque secreta, sed oriri solum ex indigentia remissionis peccatorum, coniuncta cum benignitate Dei, volentis illa remittere mediante confessione ideoque inducentis, in hunc præcisè finem, reuelationem istam peculiarem secretorum cordis, supra omnem exigentiam, & ultra omne ius hominum, etiam vagum, ad talem notitiam circa aliorum peccata. Unde, negata omni vniuersaliter facultate vtendi tali notitia extra confessionem, nihil propterea negatur exigentiæ naturali, & mutuis hominum iuribus, aliquatenus debitum; nec de ea negatione ex suppositione institutionis huius Sacramenti, quisquam vnquam conqueri magis potest, quam posset conqueri si Sacramentum ipsum institutum non fuisset, atque ita fuisset interclusus omnis aditus ad huiusmodi notitiam habendam; & à fortiori ad omnem eius usum, pro quouis euentu.

Artic. 3. Considerandum tertio est, si pœnitenti innotescat confessarium absque eius consensu velle vt extra confessionem notitia habita in confessione, de tali determinatè peccato, & in talibus determinatè circumstantiis, aut deesse periculum proximum huius rei; eo ipso liberari ab obligatione explicandi tali confessario tale peccatum, in talibus circumstantiis, vt aduertit inter alios Dicastillo, nec negant auctores exceptionum, quæ à nobis reiiciuntur. Quia videlicet pœnitens non obligatur à Deo, ad manifestationem sacramentalem suorum peccatorum, nisi in ordine ad effectum ipsius Sacramenti. Quapropter qui docent exceptiones legis vniuersalis à nobis traditæ, magis inducunt licentiam, non confitendi, quam licentiam vtiliter vtendi notitia confessionis extra confessionem.

Artic. 4. Considerandum denique est, casus, pro quibus communiter ponderatur, vt difficilis, & dura praxis doctrinæ traditæ, & rarissime contingere, & esse casus potius metaphysicos, vt aduertit inter alios Patres Suarez, & pro quibus pœnitens tenetur consentire reuelationi secreti, seu vsui extra sacramentali notitiæ sacramentalis, nec potest absque insigni nequitia, nouoque peccato velle redigere confessarium in angustias, quales meditantur prædicti auctores. Commune autem est aliis, quoque multis legibus vniuersalibus, vt pro aliquo rarissimo, & metaphysico, & quasi, obligent ad opera difficillima, præsertim dependentem à nequitia alterius, vt circa exempla primæ considerationis, & alia similia facillè cuius apparebit. His itaque omnibus bene perpenſis euaneſcit durities, quæ opponitur in obiectione aduersus doctrinam traditam, nec non ratio, qua nritur eadem, obiectione.

Ad 4. Quod aliæ obligationes confessarii sint capaces exceptionis multiplici de causâ, confert ad finem Sacramenti, & ad vtilitatem animarum. Oppopitur verò vtrique, vt ostensum est, capacitas exceptionis, & interpretationis arbitrariæ, seu epi-

keia quoad obligationem, tum habendi veram intentionem absoluedi, tum seruandi secretum, nec vtendi extra Sacramentum, notitia sacramentali,

QVÆSTIO XCV.

Virum confessarius debeat imponere, & exhibere pœnitens satisfactionem congruentem peccatis?

Videtur neuter debere. 1. Quia Satisfactio non erat debita, nec necessario exhibenda iure naturali ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo nec post eius institutionem est debita, aut necessaria. Patet consequentia, quia hoc Sacramentum inductum est ad leuamen, & non ad grauamen peccatorum. Antecedens autem suadetur efficaciter, tum quia nullum est vestigium legis vllius naturalis obligantis ad satisfaciendum pro peccatis, tum quia sufficit peccatori, si se humiliter submittat satisfationi, qua est dignus, pro arbitrio offensi, ac proinde non tenetur ad quærendum modum vitandi incommodum maius satisfationis, placando offensum per opus facilius satisfationis, tum denique quia nemo tenetur ex natura rei ad impediendum, aut minuendum malum suum cuius inflictione, & perpeſsione dignus est, vt certè dignus est peccator, qui satisfatiatur.

2. Opus satisfactorium est eiusdem naturæ, & virtutis, siue exhibeatur spontè ab vnoquoque, siue præcipiatur à sacerdote, atque homo homini ritè satisfacit independentem ab omni alterius iudicio, & præcepto taxante modum satisfationis. Ergo necesse nequaquam est, vt Sacerdos imponat pœnitenti satisfationem, sed ipse potest æquè bene, ac fructuosè eam exhibere pro suo arbitrio, & voluntate.

3. Oportet pœnitentem satisfecisse pro peccatis, antequam impendatur ei absolutio à Sacerdote, vt colligitur ex S. Leone epist. 91. vbi tradit Præpositis Ecclesiæ tributam esse potestatem, vt *constitentes salubri satisfatione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent*. Idem sensus apparet apud Innoc. 1. in epistola 1. decretali capite 7. Potestas autem sacerdotalis exercetur solum in actu ipso, & opere absoluedi, & non in tempore priori. Ergo satisfationis impositio non pertinet ad Sacerdotem, sed solum iudicium de ea iam exhibita sufficienter à pœnitente per propriam electionem.

4. Sacramenta nouæ legis, causant gratiam, vt dictum est supra in communi. Vnde quod non habet vim collatiuam gratiæ, non, potest pertinere ad constitutionem vllius Sacramenti nouæ legis. Satisfactio autem non est causatiua gratiæ. Quia solum est instituta pro remissione pœnæ. Et propterea pœnitens satisfacit toti suæ, quoad hanc partem, obligationi; tametsi exhibeat satisfationem in statu peccati, in quo tamen est certum, nullum opus esse causatiuum gratiæ, aut inductiuum augmenti gratiæ iam præhabitiæ.

5. Fructus pœnitentiæ non potest esse pars eiusdem pœnitentiæ. Quia fructus rei præsupponit totam rem, cuius est fructus. Satisfactio, autem est fructus pœnitentiæ, vt apparet ex Luca 3. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Ergo satisfactio non pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ tanquam pars eius.

Art. 1. Respondetur dictum est supra quæst. 85. ex Concilio Florentino, & Tridentino, satisfactionem pœnitentis